

57

I. N. 7.  
DISSERTATIO THEOLOGICA,  
DE  
PRÆPOSTERA SAPIENTIA  
NEOLOGORUM  
PROBUM THEOLOGICÆ VINUM  
IN  
VANAM PHILOSOPHIÆ VAPPAM  
MUTANTIUM,

---

QUAM,  
APPROB. MAX. VENER. FAC. THEOL. IN REG. ACAD. ABOËNSI,  
PRÆSIDE

MAG. LAUR. O. LEFREN,

S. S. THEOL. PROF. REG. ET ORD. NEC NON ECCL. QUÆ DEO  
IN VALLE GRATIÆ, RESO ET MERIMASKO COLLIGUN-  
TUR PASTORE,

PRO CANDIDATURA THEOLOGICA

PUBLICE EXAMINANDAM SISTIT

THOMAS TIMOTHEUS KRIANDER,

PHIL. MAG. SATAC.

IN AUDITORIO MAJORI DIE XXIV MAJI MDCCC,

HORIS A. M. SOLITIS,

---

ABOË,

IN OFFICINA FRENCKELLIANA,

*Ms. no. 1000. Disputation approbata  
Nigamant salt Maran Lindback  
sunt Gärdehoff. Wörland*

Αυτη δε εστιν η αιωνιος ζωη, να γνωσκωσι σε τον μονον  
αληθινον Θεον, και ον απεστειλας Ιησουν Χριστον. Joh. XVII: 3.

Εγω ειμι η οδος, και η αληθεια, και η ζωη. Ουδεις ερχεται  
προς τον πατερα, ει μη δι' εμε. Ibid. XIV: 6.

Μη υπερφρονειν παρ' ο δευ φρονειν, αλλα φρονειν εις το σω-  
φρονειν, εκαστω ως ο Θεος εμερισε μετρον πισεως. Paulus, Rom,  
XII: 3.

Βλεπετε μη τις υμας εσαι ο συλαγωγων δια της φιλασοφι-  
ας και κηνης απατης, κατα την παραδοσιν των ανθρωπων, καλα  
τα σωχεια τα κοσμου, και ου καλα Χριστον. Id. Col, II: 8.

*Handwritten text in a cursive script, likely a signature or a note, located at the bottom of the page.*



§. I.

**E**o nunc vivitur sæculo, quod præ cæteris *illuminatum* appellari cœptum est, quippe quo, ut multorum fert opinio, ea animæ nostræ facultas, quæ nos homines facit a feris bestiis differentes, tantum acquilivit luminis, ut quisquis illud strenue sequatur, is optatum felicitatis portum sine metu naufragii invenire possit. Quam homo duabus ex partibus conficit: *sensuali*, quæ temporalis, & *spirituali*, quæ perennis capax est felicitatis, hætenus creditum fuit; ad utramque perveniri non posse, nisi quis gemino utatur lumine, *Rationis* quidem, quo ad illius, *Revelationis* vero, quo ad hujus felicitatis usuram duceretur. Hinc opus fuit duas excolere disciplinas: *Philosophiam*, quæ *Rationis*, & *Theologiam*, quæ *Revelationis* dictamina inculcaret. Ex quo vero non minus licentiosa, quam ingeniosa *Voltairiorum* secta clavum *Philosophiæ* ad se rapuit, scelestum cepit consilium non solum *Theologiam*, sed ipsam quoque *Scripturam divinitus revelatam* variorum errorum horrenda audacia accusandi, non aliam ob causam, quam ut impuris atque illotis voluptatum mancipiis eo quietius execrabili securitatis cervicali indormire liceret. Quoniam vero parum ex voto procesurum videbatur consilium, quod animo conceperant fastiditum *Christianismum* abrogandi & adamatum *Libertinismum* in ejus locum surrogandi, si ad hoc propositum directe grasfati fuissent, aliquantisper necesse erat illi inanem quandam speciem honestatis prætexere.

Hinc amœnam morum doctrinam variis elogiis ornandam sumebant, initium reformationis facientes a proscriptione superstitionis, ut, fugatis spectris, ad diabolum occidendum & infernum extinguendum eo facilius progredi possent. Longum foret sigillatim enarrare, quantis injuriis Divinas Litteras affecerint, cum, expunctis omnibus *Mysteriis*, nihil intactum nihilque inviolatum relinquerent, si sola morum præcepta excipiantur. Verbo dixisse sufficiet, eo impietatis fuisse progressos, ut Religioni non duxerint ex ipso Dei Filio, qui mundum primum creavit & deinde redemit, divina exuto natura, purum putum morum doctorem facere, cui eo minus necesse fuerit peccata hominum expiando tollere, quod ea docendo corrigere posset, illibata innocentia primigenia, quippe quam fictus *Protoplastorum* lapsus corrumpere non potuerit. Atque ita nihil ipsis obstare visum fuit, quominus *Theologiam* in *Philosophiam*, hoc est probum *Revelationis vinum* in fatuam *Rationis vappam* mutare licuerit. Tantam malorum lernam in Ecclesiam Christianam immisit sacrilega Neologorum petulantia stultissimam æmulata insolentiam *Hierofrati*, qui, ut æternam sibi pareret memoriam, magnificentum *Dianæ* templum *Ephesinæ* incendio deletum ivisse perhibetur. Ne hic tam pestilens torrens universum Ecclesiæ arvum inundaret, & quantum in se esset, omnes pietatis radices ex animis hominum simpliciorum penitus evelleret, non minori diligentia quam sapientia prohibere studuerunt tam *Politici* quam *Theologi*, qui facile præviderunt, quantum detrimenti tam Regio quam Religio pateretur, nisi in id evigilarent, ut dirus hic æstus prius reprimeretur quam utramque absorbere posset. Horum nos partim præceptis moniti, partim exemplis aucti facere non potuimus, quin nostrum qualecunque studium tam bonam ad causam conferremus, non quod nostra tantilla opera præstari posse putavimus, quod nondum sit præstitum, sed ut aliis, qui nobis & soliditate scientiæ & maturitate experientiæ superiores sunt, occasionem majora & solidiora

pro-

) 3 (

proferendi suppeditaremus, Fave itaque ausibus nostris juvenilibus B. L. & quod ex sincero veri studio profluxerit, certior esto.

§. II.

Deus Optimus Maximus, qui mundum creavit, creatum conservat & conservatum gubernat, animo humano perpetuum sciendi desiderium indidit, infixit, impresit, non quod scientia, ut multis visum est, summum esset hominis bonum, sed ut vice fungeretur luminis, cujus ope bonum quærere, quælitum invenire & invento frui posset. Nomine vero boni nihil aliud dignum est quod veniat, nisi quod ita fuerit comparatum, ut hominem meliorem reddat, meliorem sibi, meliorem suis, meliorem aliis. Quum vero bonorum duo sint gênera, unum quod *interiorem*, alterum quod *exteriorem* hominis partem facit meliorem, geminum scientiæ genus habemus. *Theologiam*, quæ *illud*, & *Philosophiam*, quæ *bonorum* genus invenire & applicare docet. Utrique suum est principium, *Theologiæ* quidem *Revelatio divina* in Sacris Litteris descripta, *Philosophiæ* vero *Ratio humana* usu rerum comparata. Neutrum horum principiorum variandum, aut mutandum, nedum abolendum est. Revelatio, quia mentem Dei fallere nescii repræsentat, *absolute vera & absolute certa* est. De Ratione vero paulo aliter judicandum. Nam quatenus in *abstracto* consideratur, ut facultas perspicendi nexum rerum omnibus communis hominibus, eatenus non existit, quandoquidem de generibus & speciebus notum est, quod non nisi in *individuis* existant. Hinc sic formanda est quæstio: num *Ratio*, quatenus existit in *Platone*, *Aristotele*, *Epicuro*, *Cartesio*, *Wolfio*, *Kantio*, & sic porro, *absolute vera & absolute certa* sit? Quis vero non videt, hoc tuto affirmari non posse, nisi ex iis deos facere velimus. Quamdiu intra terminos manent *axiomatum*, non errant, simul vero ac consequentias

neſcunt & alias ex aliis deducunt, periculum eſt, ne aliquid a veritate alieni atque incerti, de rebus etiam maximi momenti, effutiant. Jam vero, cum ingenii amoenitate, quam animi probitate celebrior *Neologorum* cohors eo petulantiae progreditur, ut in locum *Divinae Revelationis*, quae *absoluta eſt veritatis & certitudinis*, ſubſtituere non dubitet *Rationem humanam*, cujus auctoritas toties vacillat, quoties ſententiae Philoſophorum discrepant, haud difficile eſt dijudicatu, quod facinus omnibus mundi temporibus inauditum auſa ſit, ob eamque cauſam digna haberi debeat, quae in media aediam contignatione habitet, ſuperiorum aqua & inferiorum fumo, donec reſipuerit, vexetur. Tantum certe abeſt, ut meliores evadant, qui ſacerrimam hanc *Philoſophiam* audiunt, ut potius omni modo pejores fiant.

Atque ita, niſi valde nos fallit opinio, a *priori*, demonſtravimus, tutius eſſe eam Salutis viam ſequi, quam (*ἀποθεὸς Θεός*, Tit. I: 11.) Deus fallere neſcius nobis in ſuo ipſius verbo praſcripſit, quam aures praebere inſulſis *Rationis panegyriſtis*, qui nobis perſuadere non dubitant, illam viam dudum eſſe antiquatam, a ſe vero novam eſſe inventam beneficio *Rationis*, eamque tanto verius ad optatum felicitatis portum ducere, quod pedibus hominum decimi octavi ſaeculi apta ſit. Quis crederet talia doceri poſſe, non dicam a viris doctis, ſed a doctis multo doctioribus, qui ſe totam Sapientiae oſſam deglutiviſſe ſomniant, niſi conſtaret eſſe dictum; *cum ratione inſanire.*

§. III.

Ulterius a *poſteriori* demonſtraſſe juvabit, quam dubium ſit lumen *Rationis* ad indagandam viam, qua ad vitam aeternam eatur. Hoc nos ipſa docebit *Historia Rationis*, quam paucis delineaſſe non poenitit. Infantes recens nati neque

gra-

gradū, neque fari, nedum ratiocinari possunt, has vero artes sensim & pedetentim exemplis aliorum discunt. Qui inter feras bestias educati fuerunt, ii inventi sunt exempla fecuti ferarum, quatuor pedibus currere & sonos edere eorum animalium, quibus vitæ lociis usi fuerant, nullum vero rationis vestigium ostendere. Qui nati fuere surdi, ob eamque causam exemplis aliorum hominum fandi artem discere non potuerunt, ii, ex quo hanc artem invento quodam artificioso didicerant, ad quætionem quales cogitationes fovissent, quamdiu muti erant, fassi sunt, se nihil huiusmodi meminisse. De *Protoplastis* pro more comminiscuntur *Neologi*, quod, cum ex manu Dei *creatrice* prodissent, iisdem infirmitatibus, ac omnes alii infantes laborarunt,

Hoc vero quam alienum sit statuere, vel exinde patet, quod, cum non adessent alii homines, quorum exempla imitari potuissent, ad exemplum brutorum animalium quatuor pedibus currere & pro humana loquela sonum ferinum edere debuissent, usum Rationis nullum præ se ferentes.

Quam vero hoc *Neologiam* oleat, haud obscurum esse potest iis, qui *Historiam creationis* legerunt. *Adamus* enim simulac *Evam* recens creatam conspexit, de ea iudicium tulisse legitur, ut usu rationis & orationis perfecte auctus. Omnia, quæ Deus cum *Protoplastis* locutus fuerat, perfecte intelligebant. Nec ignorabat *Eva*, quis sensus verborum esset serpentis *seductoris*. Ex his omnibus constat, *Protoplastos* simulac creati erant, perfectos fuisse homines, omnibus ornatos facultatibus, quibus deinceps gaudebant. Et quidni essent? Num Deus hoc non potuit præstare. Si noluisse dicis, incumbit tibi probare, cur non voluerit, id quod ad cælendas Græcas facies. Non desunt, qui in alterum progressi extremum tantam *Adamo* scientiam tribuunt, ut ipsas etiam abstractas rerum essentias ei patuisse seiscant. Sed hi nobis verba dant. Hujus enim opinionis nullum vestigium in *Syra Syra*

reperimus. Vocabulum enim *אדם*, cui essentiae notionem tribuunt, occurrit quidem ubi de Deo *animalia creante*, non vero ubi de *Adamo nomina eis imponente* sermo est. Et quamvis hoc nomen in genere *formam* interpretari liceat, potius tamen *externam*, quam *internam* animalium structuram exprimit, id quod ipsæ significationes nominum animalibus impostorum ad oculum demonstrant. Sed hæc quasi in transitu. Nihilò tamen minus *Adamum* adhuc integrum sapientiæ laudem meruisse certum est. Sapiens vero est, non qui multa sibi cognita habet arcana, sed qui vera & viva officiorum sibi incumbentium cognitione imbuto gaudet animo. Neque enim aut Regem stultum dicimus, quod quadrigam regere non didicit, aut aurigam, quod habenas imperii tractare nescit. Verbo; Sapiens is jure dicitur, qui bene novit quæ sui sunt officii, & quæ novit, ea ad usus vitæ recte confert.

#### §. IV.

De Ratione ejusque usu in *Theologia* adhuc nonnulla restant monenda. Rationem considerare solent dupliciter prout nimirum vel sibi relicta est, suoapte aut acumine effodiens, aut lumine ostendens, quæ sui officii esse novit, vel lumine Revelationis collustrata hæc partim citius, partim certius cognoscit. Acutissimus nostri Sæculi *Philosophus*, entium rationis habilissimus creator, notionem Rationis puræ sæpissime inculcat. Si *Ratione pura* ipso nihil sibi aliud vellet, quam quod alii *Ratione sibi relicta* intelligunt, nihil haberemus quod de novella hac appellatione moneremus; quoniam verò *puritatem rationis* interpretatur *remotionem omnis sensualitatis*, nostro quidem iudicio, hoc nomine facultatem indigitavit qualem forte in spiritibus invenire licet, non qualem in hominibus, qui duabus ex partibus, una *materiali*, altera *immateriali* constant, nos excusatos habere debet bonus *Kantius*, si rationem ejus puram inter entia fingendo creata collocemus, donec nobis

locum



locum ostenderit, ubi invenire possumus *individuum humanum* tam pure cogitans, ut nihil sensualitatis spiritum cogitationibus intentum afficiat. Sed has subtilitates auctori remittimus, certo scientes fumum vendere, qui ex iis aliquid solidi exculpere satagunt, quod ad recte vivendum & beate moriendum conducatur. Utinam vero & *Theologi & Philosophi* tandem aliquando tam sapientes evadant, ut, his tumis valere iustis, ea tantum sequantur, ex quibus vita humana tam publica, quam privata non fictum, sed verum colligere possit fructum. Sed vereor, ne hoc frustra speretur, quamdiu ii omnes, qui aliis sapientiores videri volunt, fallum *illuminationis* conceptum retinent, nec definire discunt, quid intersit inter genus *illuminationis, ardens & lucens, calidum & frigidum, vivum & mortuum*, illos solos vere *illuminatos* esse scientes, qui experti sunt effectum gratiæ Dei *vocantis, excitantis, illuminantis, conuertentis, regenerantis, justificantis, sanctificantis, renovantis*, uno verbo, a nefario peccatorum dominio liberantis & in dulcissimam ac suavissimam filiorum Dei libertatem vindicantis.

§. V.

*Theologis* usu receptum est doctrinam Christianam in certa capita, quæ nomine *articulorum fidei* veniunt, distribuere. Quoniam vero horum articulorum ea sit natura, ut alii *abstrusa* contineant *mysteria*, quorum cognitio ex sola Revelatione divina hauriri potest, alii doctrinas æquæ necessarias, quæ etiam communi omnium rationi suo certe modo obviæ sunt, *illos puros, hos mixtos fidei articulos* vocant. De ipsis autem terminis, quibus hæc duo genera doctrinarum a se invicem discriminantur, inter omnes non convenit, aliis ad primum, aliis ad posterius horum generum plures referentibus. Ratio hæc est, quod quidam *articuli*, ex quo *revelati* sunt, tam clara & certa radiant luce, ut rationi etiam pervii putentur,

fi

si Revelatio iis sua luce non prævisset. Si causam scire voveris, cur Deus omnes omnino veritates, quarum cognitio Religionis interest, in Sacras Litteras retulerit, in promptu est responso. Nam primum quidem multo facilius est doctrinam scripto propositam discere, quam eandem ope Rationis detegere. Deinde cum rudioribus & doctioribus æque facilis sit hæc veritatis *detectio*, & proinde necesse esset, ut illi horum auctoritate niterentur optime factum est, quod potius divine, quam humanæ auctoritati fidem superstruere possent. Nam quanta cunque evidentia se sensui hominum communi commendet veritas, ex quo semel, sive ex Revelatione, sive ex Ratione deprompta, proposita fuerit, fieri tamen potest, ut Ratio doctorum quoque virorum aliis atque aliis præiudiciis distorta, eam tam varie concipiat, ut locum inveniat tritum illud: *quot capita tot sensus*. Exemplo sit *primogenita* omnium veritatum de existentia Dei, qui mundum & omnia, quæ in mundo sunt, ex nihilo creavit. Hanc clarissime proposuit Moses statim initio *libri Geneseos* his usus verbis: *In principio creavit Deus cælum & terram*. Cui tam casta & capta lumine conscientia esset, ut non statim perspiceret existere Deum, existisse ante mundum, existere a mundo diversum? Non jam quærimus, utrum Ratio sibi relicta hæc veritatem primum detexerit, an vero ex Revelatione didicerit, hoc saltem urgemus, tutius esse *divine Revelationi*, quam *humane Rationi* sui institutionem acceptam debere & ferre. Hoc exemplis probare licet *Philosophorum Paganorum*, quorum ratio tam clara in meridie miserime cæcutiit. Plerique Deum agnoscunt, sed de natura ejus tam absurdas fovent opiniones, ut veram & sanam Dei notionem penitus tollant. Deum a mundo, quem creavit, diversam esse *substantiam* a Mose, uti nuper monitum est, didicimus, *Philosophorum* vero alii *materialiam* mundi æternam esse statuunt, alii Deum & mundum idem esse somniabant, alii Deum esse motum in machina, seu animam mundi, alii Dei *providentiam* negabant, alii Eum in

exorabili alligabant fato, adeo ut nihil libere posset face-  
re. \*) Quum jam in acutissimis *Philosophis* tam debilis sit  
ratio, qualis invenietur in hominibus habetioribus & rudio-  
ribus?

§. VI.

Hactenus versati sumus in refutandis *Neologorum* argu-  
tiis, quibus id agunt, ut hominibus verum felicitatis portum  
quærentibus persuadeant, rectius illuc perveniri, si *pyxide*  
*humane Rationis* utantur, reprobata *Cynosura Divinae Reve-*  
*lationis*, quæ una vera viam ostendit. Jam curæ nostræ ad  
hoc evigilabunt, ut omnibus ratione utentibus, qui nostras  
videbunt pagellas, ad oculum appareat, quantam mentis ino-  
piam prodant, cum idoneis destituti argumentis *infallibilem*  
*verbi Divini auctoritatem* effusis cachinnis convelli posse de-  
lirant. Inepta sane machina, qua munimentum nullo ferro  
frangendum labefactatum eunt, ut quidquid lubeat, impune  
facere possint, cum, quæ recta sunt, nec dicere nec facere di-  
dicerunt. Quibus ob oculos versatur *infinita & multitudo*  
& magnitudo beneficiorum, quæ mundus ex Religione Christi  
percepit, num fieri posse cogitassent, ut in media *Protestan-*  
*tium* Ecclesia surgerent Doctores, qui Christum *Regno & Sa-*  
*cerdotio* privatum in *Philosophum Judæum* converterent, nisi  
impia *Neologorum* scripta legisent. Ne in hos injurii videamur,  
dictis fidem faciet ipse eorum Deus, *Kantius* destruendi  
vetera, quam restituendi meliora peritior. Hic tantum abest,  
ut *naturam humanam* unquam corruptam esse agnoscat, ut  
B po-

---

\*) Plura de his argutiis qui scire desiderant, eos ad *Mosheimii Hist.*  
*Ecel. Walchii Philosophisches Lexicon*, & *Joh. Christ. Bauer* sub  
Præf. D. *Ad. Rechenberg* Lipsiæ 1705 habita Disput. de quæstio  
ne: An Hæreticorum Petriarchæ Philosophi? brevitatè causa re-  
mittimus.

potius superbiam, avaritiam, odium, invidiam, discordiam & si quæ alia ejusdem sint generis, pro idoneis habeat calcari-  
 bus, quibus homo ex decreto Dei incitetur ad quærendum  
 summum perfectionis fastigium, ad quod Deus eum creando  
 destinavit. Atque ex hoc officio, quo vitia funguntur, con-  
 cludere non verecundatur, ea potius bonum Deum quam mal-  
 lum *genium* agnoscere auctorem. Paulo ante dixerat, sine  
 his incitamentis fieri non posse, ut pastor perfectior evade-  
 ret quam ovis, quæ ab ipso pastum agitur. Ad hæc alius  
 vir solide doctus monuit: Interim oves a dextra Christi ali-  
 quando collocabuntur, cum forte pastor a sinistra collocabi-  
 tur. Deum *mali moralis* auctorem statuere tam insana est  
 sententia, ut refutatione omnino indigna sit, quippe quæ non  
 tantum adversum tenet *Scripturæ divinitus revelatæ*, sed sensui  
 etiam communi hominum omnium temporum, omnium Regio-  
 num, omnium Religionum. Pulchrum monumentum sæculi *il-  
 luminati!* Præclarum documentum *Philosophi illuminatissimi!*

§. VII.

Quoniam vero reliqui *Neologorum*, qui Lapsum *Proto-  
 plastorum* negant, quippe quem meram fabulam esse statuunt,  
 neque tamen tam absurdi sunt, ut hoc placitum absque ullis  
 argumentis aliis obtrudere velint, paucis ostendere non pi-  
 get, illud non nisi precariis niti argumentis. Primum qui-  
 dem *pericopam narrationis Mosaicæ* nihil nisi *fictionem mora-  
 lem* continere exinde probatum volunt, quod non cohæreat  
 cum antecedentibus & consequentibus. Sed hoc meram prin-  
 cipii petitionem sapit. Cohæret enim arctissime, id quod  
 etiam

etiam fateri coguntur, qui alias rem ipsam ita se habere sci-  
 sciunt. Deinde hanc *pericopam stilo pœtico* scriptam esse dicunt.  
 Hoc vero purum putum est mendacium, neque enim vel mi-  
 nimum stili pœtici vestigium hic observare possunt, qui *He-  
 braice* docti sunt. Cumque ex argumento, quod jam negavi-  
 mus, cantilenam religiosam esse velint, id fundamento remoto  
 consistere non posse certum est. Præterea nihil religiosi hac  
 narratione continetur, quod cantilenæ nomen tueatur, ut si-  
 lentio prætereamus absurdam consequentiam, quam habitura  
 fuisset hæc ficta cantilena, si cantata fuisset in conventibus  
 filiorum & nepotum *Adami & Evæ*. Pura puta fuisset con-  
 tumelia bonis *Protoplastis* facta. Verbo, ficta sunt omnia.  
 Nec melius se habent, quæ de serpente obijciunt. Serpentem  
 dicunt antea in ventrem reptasse. Dicunt, sed non probant.  
 Quidni antea potuit alio modo incedere? Præterea ignotum  
 est, cujus generis hic serpens fuerit. Sed loqui, inquirunt, non  
 potuit serpens. Nugæ! Cum locutus sit, utique potuit loqui.  
*Sturni & Psittaci* loqui possunt, quamvis organis loquendi  
 humanis destituuntur. Contrarium de serpente non necesse est  
 statuere, priusquam experimentis anatomicis evictum fuerit.  
 Prius *precaria est hypothesis*. Sed quod res est dicam. Vera  
 sermonis causa erat diabolus. Serpens nudum instrumentum.  
 Hoc credidit *Cbristus*, hoc crediderunt *Apostoli*, quod partim  
 directe partim indirecte ex variis S:ræ S:ræ locis discimus.  
 V. g. Joh. VIII: 44. 2 Cor. XI: 3. Apoc. XII: 9. XX: 2.  
 Jud. v. 6. 1 Joh. I: 3. Præterea veritatem narrationis hi-  
 storiam ex eo capite in dubium vocant, quod serpens, utpo-  
 te animal ratione destitutum, nec culpæ nec pœnæ capax  
 fuit.

fuit. Poena proprie dicta serpenti inflicta non est, interea hæc denunciatio *Eve* audienti perquam utilis fuit, quippe ex qua discere potuit, quam serio Deus legem tulisset, & quam severum esset odium, quo transgressionem prosequeretur, & quam ipsa esset digna, quæ severiorem experiretur poenam. *Contritio capitis* serpentis sine dubio ipsum respicit diabolum sed ille non est mortuus. Sufficiebat si nocendi potestas tolleretur etiam vivendi facultas salva relinqueretur. Sed satis de his.

### §. VIII.

Nunc restat, ut paucis videamus, quanta animi protervitate furiant *Neologi*, cum religioni ipsis non est, divina natura exutum ire ipsum Dei filium, qui tamen totum mundum & omnes homines adeoque ipsos etiam creavit, sustentat, gubernat, ut expresse testatur *S:ra S:ra*: Joh. I: 3. Ebr. I: 2. Col. I: 16. Rom. XI: 36. 1 Cor. VIII: 6. Eph. III: 9. Ipse igitur fuit, qui *Adamo* legem de non gustando fructu arboris *Scientiæ boni & mali* præscripsit, ipse quoque fuit, cujus iræ & poenæ *Protoplasti* se & universos suos posteros transgrediendo hanc legem obnoxios fecerunt. Hujus vero transgressionis justo leviozem *Protoplastis* culpam assignant, qui solum sibi actum representant externum, qui nihil nisi gustationem nonnullorum pomorum involveret, præteritis actibus internis multo graviora & turpiora continentibus crimina. Fidem enim verbis diaboli habendo, Deum veracissimum pudendi accusabant mendacii. Deinde hoc turpissimum flagitium ex pura derivabant invidia, quæ obstarat, quominus



Deus æquo animo intueri posset felicitatem in *Protoplastos* ex Scientia *boni & mali* h. e. *omniscientia* profecturam. In hoc vitio continebatur maligna superbia, quæ ferre non posset, ut Deo æquales evaderent. Accessit nefanda contumelia, qua *Protoplastos* regni privatos gloria bestiis lacerandos & discerpandos traderet, quandoquidem his cornium & unguum præsidia dedisset, quibus ipsi carerent, simulque vestibus, quibus se adversus aëris injurias tuerentur. Omnium vero gravissimum, quod Deo tribuerant, flagitium in eo consistebat, quod omnia hæc mala destinato consilio prædestinasset, callide excogitato artificio, quo *Adamo* ex muliere & mulieri ex serpente insidias frueret. Tantam suspicionum Iernam in animum *Protoplastorum* ex lapsu inundasse haud obscure ex *Historia* lapsus colligitur, præsertim si evolvatur commentarius quotidianæ experientiæ. Hinc perpetuum odium Dei, ex quo fit, ut de eo vel cogitare molestum ducant, qui ex Christo meliora nondum didicerunt. Jam vero quærere licet, num quæ unquam creatura in cælo aut in terra inveniri potuisset, qui animum humanum tam diris morbis liberaret? Nonne igitur necesse erat, si converteretur, ut ipse Creator, in quem moles suspicionum ceciderat, humana indutus natura ea omnia præstaret, quæ *Historia Evangelica* ab ipso præstita esse testatur. Sic inter lapsum & restitutionem generis humani mutuus viget respectus. Vos igitur, o *Neologi*, per viscera misericordiæ Christi precor, ut in pectora vestra descendatis & corda vestra diligenter exploretis, num ibi inveniantur quod dictis fidem facit. Si inveniatur, nolite spem melioris conditionis objicere. *Ὅτω γὰρ ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν*

κόσμον, ὥστε τον υἱὸν αὐτῆς τον μονογενῆ ἔδωκεν, ἵνα πᾶς ὁ πισεύων εἰς αὐτὸν, μὴ ἀποληται, ἀλλ' ἔχη ζωὴν αἰώνιον. Joh. III: 16,

Deum precemur, det Gregi suo lucem,  
 Hic quanta sat est; hac det esse contentum;  
 Det non loquentes sua reperta Doctores;  
 Det consonantes semper omnium linguas,  
 Aut corda saltem; præpotente vi flammæ  
 Caliginosas litium fuget sordes;  
 Ut spiret unum tota Civitas Christi,  
 Vitamque terris adprobet, fidem cælo.

GROTIUS.

S. D. G.

